

CAPUT SEPTIMUM

Argumentum.

Quod aliàs reliquis veris Dei viris ac Prophetis, nec minus verò huic nostro Hoseæ in more est positum, quando cum malis ipsis res est, ut exaggerent præsentem culpam, & denucient impendentem pœnam, id ipsum etiam in hoc capite videre est, ubi enumerat populi principumq; maleficia, & declarat propterea à Deo decreta supplicia. Cum enim pleriq; essent incurabiles, postquam in Epicuræam securitatem & hypocrisin idololatricam erant prolapsi, magna mala sunt secuta, quando ab exteris duriter affligebantur, & majora corrigi nescios manebant.

In divisione capitis hujus (quum illæ duæ partes, quæ hîc tractantur, nempe peccatorum execratio & pœnarum prædictio, hinc inde misceantur) admodum variant interpretes, plerisq; duas, quas jam indicavi (videlicet κατηγορίαι & κατακρίσις) verum diversimodè, dum hi priorem partem usq; ad v. 9. illi usq; ad v. 13. extendunt; alijs tres, etiam inter se dissentientibus: alijs quatuor partes constituentibus, ex quibus si popularem resolvendi modum quis velit sequi, non malè Polanus, quod & reprehensio peccatorum & comminatio malorum quater repetatur, primò v. 1. & 2. Secundo v. 3. & seqq. Tertio v. 10. & c. Quarto v. 13. usq; ad finem. Et quia Spiritui Saucto placuit hîc ita conjungere mala culpæ & pœnæ, non malè illi omnes: ideoq; singulis divisionibus hisce suo loco ac ponderi relictis, D. Gesneri & Tremellij analysin potissimum nunc sequi placet, partesq; facimus duas, quarum prior continebit maleficiorum multitudinem & magnitudinem

Summa:

Analysis,

Polani.

Tremellij
& Gesneri
partes duæ.

Ff. 33

usq;

10.